



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

M. Ant. Mvreti Variarvm Lectionvm Libri XV

Muret, Marc-Antoine

Antverpiæ, M. D. LXXXVI.

Cap. 2. Eiusdem Senecæ locus illustratus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70864)

sunt pulchrum nomina, sed genere & qualitate diuersa. Serius verò, quæ sequitur, librorum significantias continet.

Eiusdem Seneca locus illustratus.

CAPVT II.

MVITI sunt, qui, cum & libenter & prolixè alios laudent, neminem tamen habent, qui se, quod ab eis laudatus sit, quidquam propterea eis debere arbitretur. Laudant enim sine villo dilectu ac discrimine omnes: vt id non aut iudicio aut beneuolentia adducti, sed morbo quodam animi facere videantur. Sed & in pecunia idem, quamquam rarius & à paucioribus, fieri videas. Eiusmodi igitur homines & eleuant auctoritatem iudicij sui, & omnem beneficiorum gratiam amittunt. De quibus præclare Seneca: Beneficium, inquit, quod quibuslibet datur, nulli gratum est. Nemo se stabularij aut cauponis hospitem iudicat, nec coniuuam dantis epulum: vbi dici potest, Quid enim in me contulit? Nempe hoc, quod in illum & vix notum sibi, & in illum etiam inimicum ac turpissimum hominem. Nunquid enim me dignum iudicauit? Morbo suo morem gessit. Puto autem hoc, quod postremo loco positum est, veteris poetæ Græci exemplo dictum esse, ex quo quadratum versum perelegantem citat Plutarchus:

Ὁ δὲ φιλανθρωπος οὐ γὰρ ἔχει νόσον, χαλπεὶς δὲ δίδυς.
Ibi enim quisquis ille est, qui loquens inducitur, negat, quod alius quispiam multis pecuniam largiatur, id ab ipsius humanitate ac liberalitate proficisci: cum enim illo quasi morbo teneri, vt dandis pecuniis gaudeat.

Micretti
Lectio
II
25